

turfuri et fulguri, et quod utrumque verum sit: Deum scilicet recipere peccatores quandocumque venerint, interim vero non promittere ejus tempus ad conversionem, sed potius insperato sæpe et repente quasi excæcatos abducere in alterum sæculum. Sic evenit juveni euidam, cui Grinizo nomen, qui habitavit Perusii in Italia, in conventu S. Vincentii cum Petro Damiano, postea cardinale et episcopo Ostiensi, qui hanc historiam scripsit ante annos 550. Hic cum ad omnem se voluptatem carnis projeceret, cum diabolo paciscitur, obsecurum se illi, ea lege ut triduo ante mortem præmoneret eum obitus sui; sperans tunc se poenitentiam acturum. Evolutis aliquot annis, quos in peccatis exegerat, accessit eum diabolus ex pacto monens, eum post triduum meriturum. Convocat ergo is religiosos omnes, et quid cum diabolo pactus sit, omnibus aperit; quo facto statim obdormivit. Religiosi omnem movebant lapidem, ut illum excitarent, ad confessionem adducerent, et sacramentis munirent: sed obdormiebat ille, quantumcumque traheretur ac pungeretur, quamdiu poenitentia fiebat mentio: evigilabat vero, et respondebat, si profanum aliquid diceretur; dein rursus si de confessione fieret mentio, imo si vel nomen poenitentia audiretur, profunde indormiebat. Duravit hoc usque ad tertium diem, quo expiravit. Post sepulturam multi canes nigri ad sepulcrum convenerunt, et super eo multis noctibus manserunt: quo videlicet fideli suo servo caninas agerent exequias. Videtis quomodo hic miser, qui ex subdola prædicatione non putavit se visurum infernum, expeccatus tamen eo ductus sit. Quam facile hoc idem cuivis accidere potest? Verissimum igitur quod Ecclesiastici XI. dicitur: *Repromissio nequissima multos perdidit*. Patet enim hinc, quod S. Augustinus ait: *Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei*. Quemadmodum ergo servi Assueri operuerunt faciem Aman, suspendendo in patibulum, Esth. VII. ita cacodæmones laborant, ut morienti peccatori tenebras obducant, quo obliviscatur sui et Dei.

Denique, respectu Dei, qui in tempore illo etiam otiaabitur, hoc est, non dabit gratiam illam, quam daret alias, specialem et copiosam, quæ sit efficax ad conversionem; exigentibus id peccatoris demeritis. Gratiam Dei ad conversionem esse necessariam, verius est, quam ut ostendi debeat: imo August. ait: *Hoc est magnum miraculum Dei, cui Deus inspirat et adjuvat, ut frangatur per contritionem*. Deinde, quo diutius homo in peccatis persistit et pergit, eo

major requiritur gratia ad ejus conversionem. Denique, qui suam poenitentiam ex industria differt ad mortem, eo ipso meretur gratia debita subtractionem, quia ex præsumptione peccat misericordiae divinæ, adeoque ipsum remissionis principium, quantum in se est, destruit. Non audis, quid dicat Isaias, cap. XXXIII. *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Et Deus per Davidem, Psal. XV. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: in Hebr. habetur: Non libabo libamina eorum de sanguinibus*. Vides, Deo non placitura sacrificia peccatoris, quæ ex præsumptione in mortem differt. Quid etiam dicit Deus, Prov. I. *Vocavi, et renuistis, inquit, et despexistis omne consilium meum: ego quoque in interitu vestro ridebo, cum irruerit super vos calamitas et interitus: tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerit disciplinam*. Miraculum igitur et quidem maximum petis, cum in tali statu gratiam a Deo petis, et beatam mortem. *Vix ex centum millibus hominum*, ait S. Hieronymus (referente Hadriano papa) *quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Ratio est quia illud tempus non peccatoris, sed Dei est: sicut cum dux dat civitati, quam obsidet, pacem ad certos dies, ut intra eos se dedat, et gratiam oblatam acceptet. Postquam vero illa pergit in pertinacia, et dux eam omnino circumdat ac tormentis quatit, manuque armata capere incipit, jam non audit eorum preces, sed maecat, spoliat, vastat omnia. Sic fecit Titus Jerosolymam cingens, qui initio pacem et securitatem incolis multoties obtulit, ipsosque adeo rogavit, ut salutem suam consulerent; at ubi auditus non fuit, arcissima obsidione et muro præalto civitatem undique cinxit, ita ut quicumque effugere de urbe conarentur, mox in ejus exercitum incidere et maectarentur. Mortis ergo tempus, obsidionis est, qua rebellem et obstinatum peccatorem Deus doloribus circumdat, nec jam, ordinarie saltem, deprecantem audit amplius, sed perdit: unde Ecclesiastes, c. VII. ait: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Olim iudices reum capitis condemnaturi, inter se et reum cortinam obducebant, et interjecto velo se confinebant, ne facile ad misericordiam flecterentur (ut meminist Clemens Rom. l. II. constit. et D. Basilius, epist. LXXVIII. codex Theod. et Justinianus) quia tunc erat tempus justitiam exercendi. Pari jure Deus peccatoribus, cum jamjam ad iudicium sistendi et damnandi sunt, vultum gratia suæ subducet, quam prius contempserunt. Opponet: *Nubem sibi, ne transeat oratio eorum*, Thren. III.

Operuisti in furore et percussisti nos: occidisti, nec repercisti. Opposuisti nubem, etc.

Nota est historia de Judæo illo, nomine Salomone, qui postquam in latrinam incidisset, et non sabbato extrahi nollet, dicens: « Sabbata nostra colo, de stercore surgere nolo: » magistratus postea in die dominico, quo Judæus extrahi volebat, respondit: *Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem*. Quid mirum, si et peccator, qui tempore juventutis et sanitatis, quo sabbatum suum agit in mundi voluptatibus, de peccatorum suorum facibus non vult extrahi, audiat tempore mortis, tempus et sabbatum Dei esse: *Sabbata nostra quidem, etc.* Quis dubitat obsessos Jerosolymitanos, cum viderunt præ oculis undique extremam angustiam, famem, pestem, gladium, tunc dixisse ad se invicem: O nos miseros et stolidos, cur non hinc aufugimus, cum fugere poteramus? Cur non credidimus iis, qui hanc cladem nobis prædixerunt? Idem dicent vel cogitabunt morientes, qui poenitentiam in mortem usque distulerunt. Orate ergo dilectissimi, per salutem vestram oro, orate, imo ipsi procurate, ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato.

CONCIO V.

SEX ASYLA PROTEGENTIA AB IRA JUDICIS VENTURI.

I. Ecclesie catholice fides et obedientia. — II. Tribunal poenitentia. — III. Opera misericordiae. — IV. Oratio sedula et perseverans. — V. Timor perennis et præmeditatio iudicii. — VI. Ingressus in religionem, vel alium securum statum.

THEMA.

Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.
Matth. XXIV.

Magnum fuit beneficium, quod exhibuit Deus familiae justi illius Loth, Genes. XIX. quando misit ei binos angelos, qui de futuro Sodomæ incendio eam monerent atque eriperent. Sed longe majus est, quod exhibuit nobis omnibus, quando misit Filium suum Christum, magni consilii angelum, ad præmonendum nos de futuro et ultimo mundi incendio extremoque iudicio. Id quod in hodierno evangelio fecit Christus. Angeli monebant Loth, ut fugeret ab incendio; Christus monet nos, ut fugiamus ab excidio mundi et futura ira: angeli præcipiebant, ut nemo fugientium retrospectaret; Christus monuit, ut qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam; qui in tecto est, non des-

cendat in domum suam: angeli dicebant: *In monte salvum te fac*; Christus dixit: *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*. Sed qui sunt isti montes, ad quos recipere nos debemus, si a ventura Dei ira abscondere nos volumus? Audiamus.

Jussit Deus, Numer. XXXV. designari sex civitates, ad refugium eorum, qui nolentes sanguinem fudissent, ut ad eas confugerent, et immunes essent a persecutione eorum, qui cognati erant hominis occisi. Eæque reipsa designatae sunt, Jos. XX. post ingressum filiorum Israel in terram promissionis. Ego totidem invenio præcipua asyla, ad quæ recipere nos possumus, ut fugiamus a ventura Dei ira.

I. Asylum est Ecclesia catholica, ejusque fides et obedientia. Hoc asylum videtur expressisse David, Psal. CIII. cum ait: *Petra refugium herinacis*. Teste enim Ambrosio, l. V. hexam. c. IX. et B. Basil. in hexam. hom. VII. herinacius marinus providens tempestatem, petrae alicui manibus pedibusque adhaeret, ne a fluctibus eiciatur ad littus. Nos ergo petrae Ecclesie firmiter adhaereamus, si tempestatem illam incolumes sustinere volumus. Extra eam salus non est sed interitus certus. Quemadmodum extra arcam nemo diluvium evasit et interitum: sic extra Ecclesiam nemo tunc salvabitur: unde Joan. III. ait Dominus: *Qui autem non credit jam iudicatus est*. Quia vero sola fides non sufficit ad salutem, et in Ecclesia mali sunt et boni, oves et hædi, quemadmodum et in arca Noe, tam immunda, quam munda fuerunt animalia: idcirco addendum, ut qui cum magna fiducia appareat in iudicio vult, Ecclesie et prælatorum ejus directionem sequatur, seque ovem præstet in ovili Christi. Propterea enim Christus, Matth. XXV. electos in iudicio ad dextram suam locatos, oves vocat: reprobos vero ad sinistram hædos; quia nimirum illi velut oves ejus vocem pastoris audierunt, eumque secuti sunt, prout dixit: Joan. X. *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me*; hi vero instar hircorum præcipitia ascendebant, nec recto gradiebantur itinere. Ratio idipsum comprobatur: nam qui Ecclesie ductum et pastorem directionem tamquam ovis sequi per omnia studet, qui præcepta Ecclesie observat, prælatorum suorum consilio utitur, ad pasceam verbi Dei et sacramentorum duci se ab iis sinit, non tam is pro se, quam Ecclesia et pastores pro ipso reddere rationem in die illo debent. Etenim: « In obedientia, ait S. Hieronymus, in reg. monial. non solum mens excusatur a reddenda Deo ratione de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de se ipsa. O summa

ibertas, qua obtenta vix possit homo peccare! »
 Ne ille. Ut enim si cæcus ducatur in segotes,
 tasque conterat, non ipse, sed ductor ejus reus
 erit: sic etiam pastor non ovis reddet rationem,
 si male duxit ovem. Plut. in l. I. de prudentia
 animalium. Scribit: « Is pisciculus, quem
 gubernatorem vocant, grandiorum balenarum
 lupiam semper hæret præitque cursum dirigens,
 se vel in brevia cœnumve impingat, vel in an-
 gustias sese penetret, unde exitus non detur.
 Hunc balæna veluti temonem navis sequitur
 lucique se fert non invita. Eo quiescente quies-
 cit, progrediente progreditur, hoc ni faciat,
 errare impingereque certum est. Periere multa
 iam velut gubernatore carens navigium delatæ
 ad terram sunt. » Sic ille. Exemplum itaque
 Christianis in hoc maximo pisce dedit Deus
 obedientiæ Ecclesiæ ejusque pastoribus præ-
 standæ. *Quantæcumque enim religionis et sapientiæ*
inquit Basilius Macedo imp. in adhort. ad laicos,
apud Baron. an. 896.) laicus existat, ovis vocari
non desinet: proinde ductum Ecclesiæ et guber-
natoris sui spiritualis sequi debet. Hoc faciens
non impingit in cœnum, et scopulos judicii di-
visi: sine illo ejusque ductu facile errabit et im-
pinget.

II. Tribunal pœnitentiæ S. Joannes Baptista,
 Matth. III. venientibus ad se Jerosolymitanis et
 confitentibus peccata sua, miratur, quomodo
 ipsis ostensum sit hoc asylum, dicens: *Progenies*
viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura
ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, q. d.
unde vobis pessimis hominibus hoc consilium,
posteris tantum sæculis Christianorum reserva-
tum, ut per confessionem virus evomatis ad
frangendam Dei judicis iram? Dignam ergo et
veram agite pœnitentiam. Ventura enim ira,
inquit S. Gregor. homil. XX. in evangel. super
locum, est animaversio ultionis extremæ,
quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad
tamenta pœnitentiæ non recurrit: et S. Chrysologus,
hom. CLXVII. Currat pœnitentia, inquit, ne præ-
currat sententia: ne judicemur, judices nostri simus,
etc. Fecerunt hoc Ninivitæ, et sententiam ultionis
divinæ mutarunt, quia festinando ad pœniten-
tiam judicem prævenerunt. Jam vero comparet
quis tribunal pœnitentiæ cum tribunali judicii,
et videbit quam suave sit hoc asylum. Hic exa-
minanda est conscientia a penitente, ibi exa-
minabitur a iudice, et accusabitur ab angelis;
hic dolor adhibendus est seu contritio, ibi ver-
mis rodet immortalis; hic confusio aliqua sus-
tinenda coram confessario, ibi coram Deo et
toto mundo; hic levis pœnitentia acceptanda,
ibi pœna ignis æterni; hic reus absolvitur, ibi

condemnatur. Quis non libentissime subeat le-
 vissimum hoc et quasi ludicrum judicium, quo
 fugiat istud alterum, triste ac severum? Sane
 ut morbos temporarios caveamus, amaras
 sumimus potiones, crebras sacrificationes ad-
 hibemus, venas incidi patimur; cur non simi-
 liter amaram pœnitentiæ potionem sumamus,
 ut futuram iram doloremque declinamus? *Ante*
languorem adhibe medicinam, inquit Ecclesiasticus,
c. XVIII. et ante judicium interroga teipsum, et in
conspectu Dei invenies propitiationem. Quare judi-
cemus nos ipsos per sedulum et quotidianum
examen conscientiæ, deinde per crebram con-
fessionem, qua, ut ait S. Augustinus, sermon,
CLXXXI. de temp. Studeamus jugiter vitiorum
exhaustire sentinam.

III. Opera misericordiæ; his enim magna se-
 curitas promissa est in judicio: *Beati misericor-*
des, quoniam ipsi misericordiam consequentur,
Matth. V. et Tob. IV. Fiducia magna erit coram
summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.
 Etenim, eleemosyna, inquit Chrysost. homil.
 XXXIII. ad pop. « Christi adstat tribunali, non
 tantum patrocians, verum et ipsi judici per-
 suadens, ut reo patrocinium præstet, et proferat
 sententiam. » Ad hæc eleemosyna instruit
 hominem, quomodo in judicio respondere Deo
 debeat, teste David, Ps. CXI. *Jucundus homo,*
inquit, qui miseretur et commodat, disponet sermo-
nes suos in judicio, quia in æternum non commove-
bitur. Magnum esset beneficium, si quis instrue-
ret candidatum, responsurum pro laurea doc-
torali, diceretque ac solveret quæstiones illi
proponendas; quam enim jucundo animo in-
grederetur is examen? Hoc autem facit eleemo-
syna: quæ cum sciamus examen Dei instituen-
dum esse potissimum de operibus misericordiæ:
Esurivi, etc. Matth. XXV. solvit tibi quæstiones
 illas. Sic consulit sibi villicus iniquitatis, qui
 cum audiret reddendam sibi rationem villica-
 tionis suæ: *Quid faciam, inquit, quia dominus*
meus aufert a me villicationem, etc? Inter hæc opti-
 mum ei refugium præbuit eleemosyna, quam fe-
 cit de bonis domini sui et ita laudatus est ab eo,
 quod prudenter egisset. Quod si igitur aliquis
 præ senio vel corporis infirmitate fodere non
 valet, hoc est, corpus castigare per jejunia et
 alias voluntarias afflictiones: et si mendicare
 nequit, hoc est, orationibus instare, quia forte
 publicis aut privatis impeditur negotiis, faciat
 sibi amicos de mammona iniquitatis. S. Grego-
 rius, homil. XXXII. in evangelia narrat exem-
 plum hujus rei. « Gotthorum tempore, inquit,
 matrona quædam fuit valde religiosa, quæ ad
 horum martyrum ecclesiam crebro veniebat

(erant autem illi, SS. Processus et Martinianus.)
 Quadam die dum ex more ad orandum venisset,
 egrediens, duos stantes sub peregrino habitu
 monachos invenit, peregrinos credidit, dari eis
 aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priusquam
 ejus erogator eis ad largiendum eleemosynam
 propinquasset, adstiterunt illi vicini et dixe-
 runt: Tu nos modo visitas, nos te in die judicii
 requiremus et quidquid possumus, præstabimus
 tibi. Quo dicto ab oculis ejus ablati sunt. »

Funiculus coccineus pendens de fenestra
 Rahab misericordiam et securitatem ei præstitit,
 quia eo funiculo misericordiam etiam fecit,
 quando demisit exploratores per fenestram;
 ideo pro clypeo suo objecit eis hunc funiculum,
 Jos. II. et VI. ita qui fecit misericordiam cum
 miseris, hoc titulo securus erit in judicio. Dicere
 enim poterit Deo: Nonne tu mei misereberis,
 qui tuorum misertus sum?

IV. Oratio sedula et perseverans. Hanc assi-
 gnavit ipse Christus, Lucæ XXI. ubi post denun-
 tiationem judicii subdidit: *Vigilate itaque omni*
tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista om-
nia, quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis.
 Quo loco manifeste indicat, non quæcumque,
 sed instantem et continuam orationem dignam
 esse, quæ effugiat iram venturam. Unde parum
 aut nihil efficiunt, qui semel tantum in hebdo-
 made aut etiam rarius orant.

Idem discere possumus ex illa Domini para-
 bola, Luc. XIV. ubi ait Dominus, quod rex qui
 committere vult bellum adversus alium regem
 longe potentiorum, sedens prius cogitet si possit
 cum 10000. occurrere ei qui cum 20000. venit
 ad se: et si viribus imparem se videat, legatio-
 nem, illo adhuc longe agente, mittat rogetque
 ea quæ pacis sunt, quod idem nobis faciendum
 suadet. Quis autem potentior ille rex, nisi Deus,
 qui contra nos in judicio cum exercitu suo in-
 finitorum angelorum et sanctorum præliaturus
 veniet? *Congregabo omnes gentes, inquit Joel, III.*
et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo
cum eis ibi. Quoniam ergo viribus tam impares
ei sumus, ut teste Job, nec unum pro mille
respondere ei possimus, quid superest, nisi ut
illo adhuc longe agente, id est, tempestive lega-
tionem mittamus instantis orationis, et rogemus
ea quæ pacis sunt? Nam si non præoccupemus
faciem ejus, antequam cum exercitu et ira sua
appropinquet, ira illius crescet et exacerbabi-
tur; quia hoc ipso divitiis bonitatis et patientiæ
et longanimitatis ejus contemnimus, teste apos-
tolo ad Romanos II. sicque thesaurizamus nobis
iram in die iræ. Id quod etiam exemplo terre-
norum regum patet; nam quo magis perseverat

rebellis in rebellione sua, et veniam non pre-
 catur, nec coram rege se humiliat, eo magis
 exasperat iram ejus, et tandem non amplius
 auditur, cum dominum ad arma sumenda coegit:
 unde Joab, II. Regum II. ad Abner pacem expe-
 tentem dixit: *Si locutus fuisses mane, recessisset*
populus persequens, etc. Quare ne aliquando ira-
tum offendamus Deum, recurramus nunc ad
placatum. Sic enim monet Sanctus Augustinus
super Psalm. LXXIV. cum ait: Non est quo fugias
a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Videtur hic
alluisse ad mulierem illam, quæ Cæsaris opem
implorabat: sed cum is ira æstuans, eam non
audiret, appellavit illa ad Cæsarem. Et ille: Ad
quem alium Cæsarem? Ab irato, ad placatum, ait
illa. Hoc idem nos faciamus; sed appellemus
nunc placatum, non placandum olim. Simili
solertia appellavit aliquando mulier alia a Phi-
lippo dormiente ad vigilantem, apud Stob.
serm. XIII. et Plut. in apophth. Dormiet ali-
quando Christus, et non excitabitur: nunc vero
nobis vigilat: appellemus ergo ad vigilantem.

V. Timor perennis et præmeditatio judicii.
 Scriptum est enim Ecclesiast. I. *Timenti Dominum*
bene erit in extremis; nam qui diem illum sem-
per timet ac meditat, ita actiones suas dirigit,
ut Deum non offendat, nec in iram impingat.
 Nauta non in prora, sed in puppi residens, na-
 vem facile regit, ne in scopulos allidatur. Sic
 nostræ vitæ gubernator, animus, prospere
 curia diriget, si fuerit intentus ultimo judicio.
 Sane vox illa domini ad villicum: *Redde rationem*
villicationis tuæ, fecit eum providum; ut media
inquiret, quibus se tueretur ab extrema cala-
mitate. Quid faciam? inquit, et ita optimum
consilium excogitavit eoque sibi consuluit. Hoc
ipsum fecit Sanctus Job, c. XXXI. cum ait: Quid
faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum
quæsierit, quid respondebo illi? Et c. IX. exponit,
quid fecerit: Verebar omnia opera mea, inquit,
sciens quod non parceres delinquenti. Hoc asylum
petiit S. Hieronymus, qui de seipso faletur super
Matth. « Sive comedam sive bibam, sive aliquid
aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in
auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.
Quoties diem judicii cogito, totus corde et cor-
pore contremisco. » Additque: « Si quæ præ-
sentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nun-
quam amaritudo futuri judicii recedat a memo-
ria. » Hoc eodem refugio turbatus se munivit S.
 Ephrem, qui diem illum præ oculis semper ha-
 buit. Idem suasit abbas Amon cuidam fratri
 postulanti sermonem quempiam utilem: « Vade,
 inquit, et fac talem cogitationem tuam, qualem
 faciunt illi, qui sunt in carcere. Illi enim inter-

rogant homines ubi est iudex et quando veniet? Et in ipsa expectatione poenarum suarum plorant. Sic etiam debes animam tuam objur-gare, dicens: Vae mihi, si non cogitavero, quomodo habeo stare ante tribunal Christi, et actuum meorum reddere rationem. Si sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. Denique, S. Ceadda Merciorum in Anglia episcopus, ut scribit venerab. Beda, lib. IV. hist. IX. Angl. cap. III. dum viveret, diem Domini sollicitus expectabat, et quoties tonaret aut fulguraret, aut vehementior aliqua procella ingrueret, solebat in memoriam revocare extremum diem iudicii et misericordiam Domini invocare, atque eam humano generi propitiare. Unde meruit ab angelis de die obitus sui praemoneri, a quibus ad se die septimo praedicto redeuntibus, in caelum est deductus. Omnes isti nautae felicissime navigarunt, quia in puppi steterunt. Quare Theophilus archiepiscopus moriturus Arsenio dicere non dubitavit: *Beatus es abba Arseni; quia semper hanc horam ob oculos habuisti, in vitis pp. l. v.*

VI. Denique, si quis adhuc securiorem montem expetat, monstrabo illum quidem, sed nescio an placiturum. Mundo renuntia et certum genus vitae perfectioris capesse extra mundi huius fluctus et procellas, ubi securius servire Deo possis. Hoc illa de hirundinibus fabula nos docet. Cum primum enim ceptum est seri linum, hirundo suadet aviculis impedire sementem, dictans, sibi fieri insidias. Irrident illae, stultam vatem hirundinem vocant. Surgente jam lino et virescente, rursus monet evellere sata. Iterum irrident. Maturescit linum, hortatur populari segetem. Cum ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo avium caetu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Init cum eo foedus, cohabitabit, cantu demulcet. Caeteris avibus e lino fiunt retia et laquei. O praeclearum aviculae documentum! Nostin quid sibi velit: serit Deus linum, quando scribit contra nos amaritudines, sententiam videlicet et instrumenta condemnationis pro merito nostro: maturescit linum, cum Dei iudicium appropinquat. Quid faciamus miseri? Sementem extirpemus per accuratam et seriam poenitentiam, vitaeque emendationem. Sed irridet mundus, nec facile ad hoc operam navat, potius nos impedit. Si ergo periculum quis evadere, et salvare animam suam velit, fugiat mundi consortium, recipiat se ad statum securiorem, religionem, ubi conciliet sibi Deum, habitet cum illo, demulceat eum cantu sacrarum horarum, etc. Sed hic querelam Lothi audio, qui monitus ab angelis ut in monte salvum se faceret, diffidens

viribus suis, voluit potius remanere ad pedem montis et salvare se in civitate Segor parva. Difficilis ascensu est mons religionis, et quis potest capere verbum hoc? Ergo salutem nostram quaeramus vel in Segor saltem, hoc est, tali in statu, qui a mundi negotiis paulo est remotior. Videmus mercatores, non parum, qua ratione iter suum instituunt, mercesque coemptas in patriam devehant, esse sollicitos. Si flumen aliquod vastum et praecipit sit transmittendum, magnum ille subit periculum, qui mercibus in humeros sublatis, natandi arte confusus, aquis se suaque committit. In minore, non tamen extra periculum erit, qui in lintrem vel scapham se resque suas imponet: qui vero oneraria nave utetur, magis adhuc caute aget. At quia illa quoque ventorum vi in scopulos impelli et frangi potest omnium tutissimus ibit is, qui ponte licet per aliquot ambages quaesito et consensu vehiculo merces suas transportabit. Non absimilis est mundus vasto et periculoso flumini, cujus procellis et periculis se committunt, qui totos se in molestias et curas saeculares immergunt. Qui vero utantur mundo, quasi non utantur: non penitus in eum effusi, ei tamen ob rei familiaris curam addicti, aliquanto securius navigant. Rursus quibus est major Deo serviendi cura et occasio (uti sunt caelibes et viduae ac clerici saeculares) in navi sunt oneraria, multo quidem tutiori, sed non extra omne periculum. At vero qui relicto saeculo ad religionis pontem ascendunt, nihilque sibi cum mundo commune esse volunt, illi non metuunt pericula, quoniam muri, quibus pons est septus, aspectum fluminis intercludunt. Metiatur ergo quisque vires suas et qua videbitur ratione transmittat. Qui pontem nequit ascendere, intret onerariam: qui hanc non vult aut potest, intret saltem scapham, et exoneret dorsum suum a saeculi tumultibus, curis et negotiis; animi tranquillitatem quaerat, ut securius Deo serviat. Tantum ne adeo dementes simus, ut cum onere saecularium negotiorum supra dorsum posito, natante audeamus, quia res plena est periculo. Tandem, quod angelus monuit Loth, et Christus nos in hodierno evangelio, ne quaeo respiciamus sicut uxor Loth. Si quis ingressus est horum montium seu civitatum aliquam, non respiciat non revertatur. Qui in agro est vitae activae, non redeat ad mundum: qui in tecto vitae spiritualis non descendat ad saecularem.

Sed dum electi cum Loth ad montes praedictos fugiunt, et ad iudicium se parant, quid agunt interim reprobi? Idem omnino quod pessimi Sodomitae, quemadmodum predixit Dominus

Luc. XVII. Nam: « In diebus Loth edebant et bibebant, inquit, emebant et vendebant, plantabant, et aedificabant: qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de caelo et omnes perdidit: secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur. » Ita Dominus. Et heu quam multi illorum similes! Qui sero et frustra aliquando dicent montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, Apoc. VI.* Utantur ergo hoc consilio, et fugiant ad hos montes, ut ibi securi lateant.

CONCIO VI.

QUIBUS MAXIME PERTIMESCENDUM SIT IUDICIUM.

I. Qui Christum hic confiteri erubescunt. — II. Blasphemi. — III. Qui specialibus Dei donis abutuntur. — IV. Qui male praesunt. — V. Qui alios temere iudicant. — VI. Duri immisericordes. — VII. Qui iudicant injuste.

THEMA.

Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Matth. XXIV.

Inter alia praesagia eversionis Jerosolymae refert Josephus, l. VII. de bello Jud. c. XII. virum quemdam plebeium, nomine Jesum, per vicos urbis circummisit, et perpetuo clamitasse: *Vae, vae: Jerosolymis idque continuasse septem annis et quinque mensibus ante eversionem: Donec obsidionis tempore ipsa re perspectis auguriis ipse quievit, ait Josephus. Nimirum praeco iste, ultimus nuntius erat Jerosolymae missus, a Christo Domino, cujus et nomen gerebat: ut triste illud vae, quod Jerosolymae comminatus erat in hodierno evangelio Christus, ipse denuo repeteret, et obstinatis incolis extreme inculcasset. Caeterum ejusmodi praeconeum etiam videtur Christus misisse nobis, Ecclesiam, quae lugubre illud vae, perpetuo nobis occineret, sicque ad iudicii diem nos disponderet. Id enim facit Ecclesia cum quotannis repetit et praelegit nobis illud: *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus, quod certe non faceret, nisi etiam ad nos comminatio illa pertineret. Vult igitur per hoc commovere etiam nos futuri iudicii, quod omnibus nobis imminet. Vae praegnantibus, inquit, quia nimirum peccata in corde gerunt, per consensum et peccandi propositum: *Vae nutrientibus qui peccata jam perpetrarunt, et perpetrare pergunt. Utrisque enim imminet ultima calamitas severissimi illius iudicii. Verum sicut obsidio***

et eversio Jerosolymae nemini magis calamitosa erat, quam praegnantibus et nutrientibus: ita etiam iudicium extremum certis quibusdam peccatoribus plus quam aliis terribile obtinget: uti sacrae testantur litterae. Quinam vero sint illi, nunc audiemus.

I. Qui Christum hic confiteri verbo et operibus erubescunt: et a fortiori qui eum omnino negant. De illis enim dixit Dominus, Luc. IX. *Quae me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum angelorum.* De his vero Matth. X. *Quae me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Itaque qui cum opus est, fidem, et quae sunt fidei, non profitentur: item vivere juxta fidei praescripta, Christianique et Ecclesiae mandatis obedire erubescunt: et rursus qui verbis aut factis fidem aut Christum abnegant: hi omnes singulari terrore concutientur in iudicio et praee aliis confundentur, cum videbunt Christum iudicem cum maiestate et potentia venientem, quem contempsisse se recordabuntur. Quemadmodum enim is, qui regem sub vulgari veste latentem et ignotum sperneret, et a sua societate ac commercio velut indignum repelleret, vehementer postea confundetur, cum rex detracta sibi larva et plebeo exuto amictu, regium indueret: ita qui hic Christum a mundo et infidelibus spretum confiteri; vel in eucharistia existentem, venerari coram haereticis aut etiam fidelibus erubescunt: supra modum confundentur, cum Christus aliquando in maiestate sua iudex eorum apparebit. Novimus qua ratione et Aman, postquam vidit supra se exaltatum ab Asvero Mardocheum, quem prius contempserat, et suspendere paraverat, et lugens et operto capite festinarit ire in domum suam, gloriam videlicet Mardochei et confusionem suam videre non sustinens, Esth. VI. Quanta igitur confusio erit inimicis crucis Christi, quando in die illa cernent gloriam eius. Quando a longe stantes et dicentes: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, etc?* audient: *Nunquam novi vos.* Quomodo pudefient coram caelesti Patre, cum videbunt ab eo tantopere exaltari et honorari Filium, cujus ipsos puduit? Quomodo coram angelis, quos cernent cum tremore et incredibili reverentia inservire illi, cui ipsi flectere genua detractabant? Quomodo coram ss. martyribus et confessoribus, quos cernent voce sanguine et calami Christi gloriam propugnasse, et coram toto mundo intrepide praedicasse?

II. Blasphemi. Hi enim lingua sua virulenta velut lancea aut clavo Christum pungunt et con-